



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXIV. Christi Sectatores omnibus se abdicent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias & sepes: & compelle intrare, ut impleatur Domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cenam meam. v. 22. Per illos, quos servus compellit intrare, intellige eos, quibus Deus subtrahit impedimenta divitiarum, honorum, & voluptatum hujus Mundi: & quibus largitus est Auxilia valde Efficacia, & moventia. Pro hac necessitate tibi injecta gaude, & fac ex necessitate, ac piâ violentiâ Virtutem, ut prompta ac devota voluntate Deo servias. Noli negligere Divinam Vocationem, ne & tu excludaris à gustatione Cenæ: quæ nimurum in hac vita per Spiritualia Solatia prægustatur; & in altera semper tali desiderio ac fame percipitur, quasi primùm fuisset gustata, ita ut semper novo gusto Voluptas illius sentiatur.

MEDITATIO CCCLXIV.

Christi Sectatores omnibus se abdicent.

Luc. 14. v. 26.

PUNCTUM I. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & Animam suam, non potest meus esse Discipulus. Luc. 14. v. 26. Id est: nec dignus, nec aptus est fieri, vel manere Discipulus Christi; nec sub ejus Disciplina ad Victorias & Triumphos, de hostibus referendos, erudiri, ac inde ad prædam post relatas Victorias, & ad Æternæ Gloriæ Coronam à Christo velut Magistro ac Duce admitti meretur is, qui, quando Consanguinei, vel proprius appetitus sensitivus in-

X 5

clinant

330 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,
clinant ad aliquid in honestum, non se gerit velut
rum hostem & inimicum, & ijs non fortiter repugnat
ac generosè resistit. Quod quidem omnes Chi-
sti Fideles, maximè autem Religiosi, qui præcipu-
Christi Disciplinam profitentur, sibi dictum exi-
ment, ut malint quoscunque Propinquos offendere
vel contrastare; quam in illorum gratiam malum fa-
cere, vel bonum debitum intermittere, aut contri-
rationem proprio appetitui aut cupiditati alicui indulgere.

PUNCT. II. *Et qui non baniat Crucem suam, non venire posse me, non potest meus esse Discipulus.* v. 27. Crucis nostra sunt quælibet adversa, ac contraria nostra voluntati, à Deo nobis immissa, aut per obligationem injuncta, aut unde unde provenientia. Eulogulare autem est, de Divina Manu illa suscipere, subiungere, patienter ferre &c. Post Christum venire, est illum sequi, & imitari in odio sui, & suorum, & in ferenda Cruce. Hoc iterum maximè proprium sibi vendicent Religiosi.

PUNCT. III. Quia, qui per Fidei Catholicæ, & præsertim Vitæ Religiosæ Professionem ad Christum venit, quasi turrim Perfectionis ædificare, & bellum contra Mundum, Carnem, ac Principem tenebrarum gerere incipit; ideo ad hoc ædificium perficiendum, & bellum feliciter consummandum, sibi de sumptibus necessarijs providere debet: sumptus autem necessarij sunt, re vel affectu renunciare omnibus bonis corporis, famæ, honoris, & fortunæ, quantum ad evitandum peccatum mortale & veniale, vel ad implendum Divinum Beneplacitum, necessarium est. Hinc, postquam similitudinem de non habente suffi-

sufficientes sumptus ad ædificandam turrim , vel vires ad bellum, Christus adduxit, subjungit : *Sic ergo omnis ex vobis , qui non renunciat omnibus , quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* v. 33. Exequere ergo tres conditiones , quas in prædicta Lectione vel Concione sua tribus his Punctis propositas, Christus requirit à suo Discipulo , præsertim eo , qui altiorem Perfectio-
nis Scholam profitetur , & Disciplinæ ejus militari sub Vexillo Crucis jam adscriptus , sub tam præclaro Du-
ce Stipendia meretur , ut omnes homines illius Suavi
Dominio subiecti , ac crudeli Dæmonis potestate eri-
piat. Etiam si enim primo intuitu & quoad speciem singulæ conditiones videantur difficiles , & graves , revera tamen non sunt : quia odium prædictum Con-
sanguineorum & propriæ Animæ , revera est Verus & Syncerissimus Amor. Labor in ferenda Cruce
brevis , & levis est , ipséque Christus Crucem suble-
vat , & vires roborat. Pro bonis temporalibus red-
dit æternos Thesauros in Cælo : Pro honore & glo-
ria corruptibili , Honorem & Gloriam incorruptam ,
& nunquam corrumpendam. Præterea Christus sub
Vexillo suæ Crucis militantes Discipulos amat , beni-
gnè habet , promissa stipendia fideliter solvit , Spolia ,
Triumphos , & Gloriam cum ipsis dividit , & Vitam
illis perpetuam servat. Econtrariò Diabolus , cuius
necessè est , ut sis discipulus , si Christi Discipulus non
es , etiamsi ad divitias , honores , & voluptates in-
vitet , hæc omnia solum promittit , & falso ostendit ,
non concedit , nec relinquit ; sed pro his discipulos
suos dure habet , crudeliter tractat , & quidem per
totam Æternitatem , nec illis aliud , quam vincula , car-
cerem , mortem , & supplicia , pro obsequijs sibi præ-
statis reddit.

MEDI-